

CAPUT IV.

De Dissolutione Unionis.

1. Unio odiosa, & ejus dissolutio favorabilis judicatur.
2. Cessante causa unionis solet de facili concedi ejus dissolutio.
3. Videtur hodie causa unionis & incorporationis multarum Ecclesiarum Parochialium cessare.
4. Nonnumquam revocatio unionis facienda, licet causa unionis non omnino cesset.
5. Quis unionem dissolvere possit?
6. Si consensus Regis in unione intervenerit, etiam adhibendus in dissolutione.
7. Revocatio unionis exigit causam cognitionem.
8. Minus exacta toleratur in dissolutione, quam in unione.
9. Dissolutio ad vitam non admittitur.
10. Dissolutio unionis Beneficium unitum pristino statui restituitur.
11. Dissolutio fit sine prejudicio possessoris.
12. Beneficium unitum non potest impetrari ante factam dissolutionem.
13. Nisi prætendatur unio non recte facta.



Unionem Ecclesiarum & Beneficiorum esse odiosam, nec sine legitimis & rationabilibus causis necessitatem aut utilitatem Ecclesiarum spectantibus, esse faciendam, variasque beneficiorum unionas nominatim per Synodum Tridentinam veritas esse, ex hæcenus dictis satis constat.

Hinc recte concludunt Canonistæ, quod revocatio seu revocatio unionis sit favorabilis; utpote ipsa beneficia ad primævam suam naturam reducens; eaque eximens ad statum quodammodo violento ad quem per unionem redacta fuerant.

II. Et si constet, quæ præcisè de causa unio facta fuerit, ea cessante facile dissolutio unionis admittitur; uti cum Rebuffio recte advertunt Canonistæ, qui ait: "Quando est facta ob certam causam, belli fortè, destructionis, pauperum, tatis, vel aliam finalem, tunc cessante ista causa, cessabit unio. Vel quando fuit facta ob bellum, & deficiente populo, postea reverso populo cessabit." Ita Rebuffius in Praxi titulo *De Unionis revocatione num. 1. & 2.* & latè Zypæus *Consult. 8. De Excess. Prælat.* ubi latè probare conatur, Pontificia & Regia auctoritate rectè processum ad dissolutionem unionis Monasteriorum factæ quibusdam Episcopatibus Belgicis in eorum erectione; eò quod ex proventibus Monasteriorum sufficiens dos Episcopis esset assignata: atque ita cessaret causa unionis, quæ fuerat necessitas dotationis Episcopatum.

III. Si ritè Ecclesiarum uniones ab ipsis Ordinariis reviderentur, præsertim Ecclesiarum Parochialium, quæ præceteris sunt odiosæ, & difficilius admittendæ & tolerandæ, non dubium, quin deprehenderetur, causas unionum in multis cessare, atque nullam unionis ulterius tolerandæ causam subesse.

IV. Ulterius tamen non omnino ipsa unionis causa cesset, potest tamen nonnumquam ad revocationem unionis procedi; si alia causa supervenerit, quæ prævaleat causæ u-

nionis: suadeatque revocationem unionis potius esse faciendam, quam unionem esse tolerandam. Nam sicuti unio ex causa utilitatis aut necessitatis Ecclesiarum fieri potest; ita ex eadem revocari, uti monet Rebuffius *num. 6.* ibidem plures causas revocationis assignans, quæ tamen ad hanc reduci possunt.

V. Qui Ecclesias unire possunt, iidem & uniones dissolvere. Unde Episcopum uniones à se, quin & à suo Prædecessore factas dissolvere posse nemo negat. Imo non tantum à se factam, sed etiam à Papa vel Legato revocare causa subsistente cum Petro De Perusino tradit Rebuffius *num. 16.* Nam Papa uniendo noluit tollere potestatem Ordinarii.

VI. Si tamen unio facta est Regia auctoritate, ipsoque Rege approbante cum causæ cognitione, revolutio vel revocatio hujusmodi unionis sine consensu Regis non facile hic, aut in Gallia admittetur; nec diffuciliter ab hujusmodi dissolutione appellatio tamquam *ab abusu* recipietur.

VII. Ulterius sicuti unio non tantum requirit causam aliquam justam; sed insuper causam cognitionem vocatis & auditis quorum interest; ita & revocatio unionis; quia eadem solemnitas requiritur in destruendo, quæ in extruendo ait Rebuffius *num. 28.* ideoque in Bulla revocationis unionis debet poni illa clausula, *vocatis his qui fuerant evocandi &c.* sicut poni solet in Bulla unionis.

VIII. Quia tamen ipsa unionis dissolutio habetur ut favorabilis tamquam beneficia ad primævam & naturalem statum reducens, etiam minus exacta causæ cognitio facilius, quam in unione toleraretur, ut rectè monuit Fevreus *De Abusu lib. 2. c. 4. n. 37.*

IX. Ad hæc quemadmodum uniones ad vitam hodie reprobatae sunt, ita nec dissolutiones ad vitam recipiuntur. Ut si v.g. Canonicus, cujus Præbendæ annexa est Ecclesia Parochialis, consentiret dissolutioni istius Ecclesiæ ad vitam Titii; ea conditione ut Titio decedente rursus unio revivisceret, & Præbendæ conferretur unita. Rebuffius ibidem *num. 35. & 36.*

X. Revocata unione, restituitur beneficium in pristino statu, reditque ad collationem sive præsentationem illius, qui ante unionem fuerat Collator aut Patronus. Nec enim consentiendo unioni censetur *absolutè* juri collationis aut Patronatus renuntiassè; nisi id expressè actum sit. Rebuffius *num. 39. & 40.*

XI. Sicuti tamen unio fieri solet sine prejudicio possessoris; ita & dissolutio unionis: quin & gesta tempore unionis rata manent: ideoque si quæ alienatio contigerit, servatis debitis solemnitatibus durante unione, hæc nequaquam revocabitur; uti nec alii actus gesti à Prælato tempore unionis. Rebuffius *num. 45.*

XII. Ut beneficium unitum, separatim ab alio beneficio cui fuit unitum, queat impetrari, non sufficit, causam unionis cessare, aut esse causam sufficientem dissolutionis; sed requiritur, ut auctoritate Superioris ipsa dissolutio, servatis servandis, facta sit.

XIII. At si prætendatur *invalidè* facta defectu observatæ solemnitatis, "tunc solemus in praxi impetrare beneficium unitum (ait Rebuffius *num. 30.*) & postea agere sicut per possessorem: & si opponatur esse unitum, replicatur, non valere unionem: & ab illa unione appellatur tamquam *ab abusu.*"

Cum unio sit quædam alienationis species, ad intellectum eorum quæ hoc titulo dicta sunt, etiam usui venire poterunt, quæ infra titulo *De rebus Ecclesiæ non alienandis* dicuntur.

TITULUS XXX.

De Simonia circa Beneficia.

CAPUT I.

Unde desumenda enormitas hujus vitii; & quare olim magis contra Simoniacas Ordinationes, quam similes Beneficiorum Provisiones actum; hodie verò secus?

1. Hoc vitium omnium criminum gravissimum à Patribus reputatum.
2. Ratio hujus ex inordinatione qua rebus spiritualibus refertur petita.
3. Gravititas hujus criminis potissimum ex effectibus desumenda.
4. Per illud fures & latrones intrant in Ovile Christi.
5. Per illud contingit, ut de idoneitate cura negligatur; & idoneis ad beneficia porta pateat.
6. Fit ut Promovendi ad Sacerdotia magis de habendis divitiis, quam bonis moribus solliciti sint.
7. Pauperes licet magis idonei excluduntur.
8. Non bona vita, sed munera queruntur.
9. Eisdem malos effectus Simonia Synodi nostra etatis etiam expressere.
10. Veteres magis egerunt contra Simoniacas Ordinationes; Recentiores verò magis contra Simoniacas Beneficiorum provisiones: idem tamen horum & illorum scopus.
11. Hic scopus ut obtineretur primis seculis contra Simoniacas beneficiorum provisiones potissimum agendum fuit.
12. Ratio hujus fuit diversitas disciplina circa dispensationem redituum Ecclesiasticorum.
13. Simoniaci maxime attendunt temporalia, quæ posterioribus seculis magis per beneficiorum provisionem quam per Ordinationem requiruntur.
14. Non minus olim, quam hodie Ecclesia execrata est Simoniæ in provisione beneficiorum.
15. Similiter æquè hodie ac olim execratur Simoniacas Ordinationes.
16. Quomodo postremis his seculis Simonia in ordinationes irrepressit.
17. Decretum Synodi Tridentina contra hunc abusum.
18. Etiam quæ gratuitò dicuntur offerri in Ordinatione respicienda.
19. Consuetudo nihil dandi etiam ipsis Notariis à Gallis laudata & à Synodo comprobata.
20. Merito Episcopi suis Ministris congruum stipendium assignarent, ut à suspectis exactionibus cogerentur.
21. Monitum S. Ambrosii expendendum à Prælati, qui suos non cogerent Ministros.



Simoniae crimen esse unum è gravissimis criminibus unanimis fuit jam pridem Patrum sententia. Quin & sub nomine Patris Papæ refert Gratianus: *Omnia crimina ad Simoniacæ hæresis comparationem quasi pro nihilo sunt reputanda.*

Et ad Adrianum I. scribit Tharalius Patriarcha Constantinopolitanus, *Tolerabilior est Macedonii & eorum qui circa ipsum sunt Spiritus Sancti impugnatorum im-*

pia hæresis. Apud Gratianum *Caus. 1. qu. 1. Can. 21.*

II. Rationem subjicit Tharalius: "Nam cum illi sanctum Spiritum Dei, & Patris creaturam, & servum nugeatur, hi suum ipsorum, quantum putant, servum ipsum faciunt. Omnis enim Dominus quidquid habet, cum libuerit, vendit, sive famulum sive aliquid aliud ex his quæ possidet. Similiter & qui emit, volens emptæ rei Dominus fieri, argenti pretio eam acquirit."

Cum enim in omni Simonia interveniat quædam saltem implicita emptio venditio rerum spiritualium cum temporalibus tanquam pretio, verissimum est, ipsa spiritualia per Simoniam ad rationem rerum temporalium deprimi, & eis quodammodo coæquari; atque per hoc ad quamdam vilitatem redigi. *Quis enim non vili esse putat, quod venditur,* ait Hormisdas Papa: *Aut quis denno veneretur, quod venditur, aut quis non vile putet, quod emitur:* scribit S. Gregorius *Lib. 7. epist. 114.*

Hanc inordinationem notasse videtur Apostolus Petrus dum Simoniacorum Patri respondit: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam DONUM DEI existimasti PECUNIA POSSIDERI.*

III. Et si ex hac rerum spiritualium depressione, quæ per earum cum temporalibus commutatione contingit, hujus criminis enormitas aliquatenus desumi & ponderari queat, magis tamen elucescit, ubi mala ex hoc vitio in Ecclesiam redundantia attenduntur; intelligiturque, nihil per exaggerationem à Patribus fuisse dictum, dum hoc Simoniæ crimen omnium criminum gravissimum dixerunt: nimirum penes suos effectus.

IV. Quid enim perniciosius ac luctuosius esse Ecclesiæ potest, quam si ad Ovile Christi non per Ostium, id est, Christum, sed aliunde puta per munera ascendatur? *Qui enim aliunde ascendunt?* nisi fures & latrones, qui non veniunt, nisi ut furentur & mactent & perdam.

Quæ hinc animarum strages? quæ sacrilegiorum in Pastoribus exundantia? quæ criminum & omnium abominationum in populo colluvie? Dum non Pastores, quos Oves sequuntur & audiunt, sed Mercenarii, fures & latrones, per aurum & argentum intromittuntur.

V. Ad hæc, dum per munera ad Ecclesiastica Ministeria ascenditur; aut in promotione munera attenduntur; jam de vitæ sanctitate, doctrina, aliisque necessariis qualitatibus cura exigua aut nulla; atque hinc idoneis porta aperitur, & maxime idoneis ocluditur; uti rectè advertebat Sanctus Tharalius in citata epistola; hinc merito etiam gravitatem hujus desumens. "Si venditur sacerdotii dignitas, supervacua & apud istos venditores honesta vitæ institutio, & puritatis virtutisque cultus; supervacuum apud ipsos & Paulus divinus Apostolus dicens, oportere Episcopum esse sine crimine, temperantem, modestum, aptum, ad docendum, continentem, sobrium, insistentem fidei secundum doctrinam sermoni, ut potens sit exhortari in doctrina sana, & contradicentes refellere. Pereunt igitur hæc omnia, ex eo quod Sacerdotium venditur & emitur."

VI. S. Gregorius scribens Theoderico & Theoberto Francorum Regibus *Lib. 7. Epist. 117.* ait: "Fertur Simoniacam hæresim quæ prima contra Dei Ecclesiam diabólica supplantatione surrepsit, & in ipso ortu suo, telo Apostolicæ ultionis percussa atque damnata est, in regni vestri finibus dominari, cum in Sacerdotibus fides sit

eligenda cum vita. Si enim vita deest, fides meriti non habet, beato Jacobo attestante qui ait: *Edes sine operibus mortua est.* Quæ enim opera esse valeant Sacerdotis, qui honorem tanti sacramenti convincitur obtinere per præmium.

Hinc tamquam consequens concludit: "Ex qua re agitur, ut ipsi quoque qui sacros Ordines appetunt, non vitæ corrigere, non mores componere studeant, sed divitiis, quibus honor sacer emittitur, satagant congregare.

VII. Pergit dein: "Hinc fit, ut infantes & pauperes à facris Ordinibus prohibiti, despectique resiliant. Et dum innocentia pauperis displicet, dubium non est, quod præmium illic delicta commendet: quia ubi aurum placet, ibi & vitium. . . . Si enim is dignus Sacerdotio creditur, cui non actionis merita, sed præmiorum copia suffragatur, restat ut nihil sibi ad honores Ecclesiasticos gravitas, nil defendat industria, sed totum auri prophanus amor obtineat.

VIII. Imò ad Galliarum Episcopos super Simoniaca hæresi scribens lib. 7. *Epist. 3.* ipsiusque viii gravitatem exponens inter alia dicit: "Quod per hoc aliud agatur, nisi ut nulla de actu probatio, nulla sollicitudo de moribus, nulla sit de vita discussio, sed ille solummodo dignus, qui dare pretium suffecerit, æstimetur. "Et rationem dat in *Epistola 114.* "Nam ubi dona supernæ gratiæ venialia iudicantur, ad Dei servitium non vita quaritur, sed magis contra Deam pecunia venerantur.

IX. Nec tantum Veterum, sed Recentiorum Synodorum & Pontificum de his pestiferis Simoniacæ pravitatis effectibus fuit querela; nec minus ab his, quam illis abominabilis & exitiosa Ecclesiæ lues iudicata Simonia.

Paucis, sed energeticis & claris id terminis sæculo præterito exprellere Patres Synodi Bituricensis: "Ubi hæresis Simoniæ in Ecclesiâ invaluit, probis atque eruditis viris aditus ad beneficia præclusus est, indeque omnis propè Ecclesiastica disciplina collapsa est." Anno 1584. *sess. 41. cap. 1.*

X. Verum quidem est, in pristinis Ecclesiæ Canonibus & monumentis præcipue redargui & exagitari, reprobarique Simoniæ in Sacris Ordinationibus committi solitam: in recentioribus verò raro hujus mentionem fieri, at plerumque omnia dirigi contra Simoniæ in collatione & provisione beneficiorum: sed hæc diversitas nullatenus probat, aliam esse Ecclesiæ hodie de Simoniæ idæam, quam olim fuerit; aut olim habitum fuisse magis perniciosum vitium Simoniæ, quam hodie habeatur. Semper enim idem fuit & Veterum & Recentiorum scopus; & illorum in reprobando Simoniæ Ordinationibus, & horum in damnando Simoniæ beneficiorum provisionibus: & quod hi magis contra hæc, illi verò contra illas invecti sunt, non ex variato Ecclesiæ spiritu de hoc vitio Simoniæ; at ex varietate disciplinæ protulit.

XI. Semper enim Ecclesiæ scopus in condemnatione hujus criminis fuit, ut omnis in ejectione Ministrorum Ecclesiæ caveretur venalitas, nec in electione illorum munera, sed merita attenderentur. Quod ut obtineretur, prioribus Ecclesiæ sæculis præcipue invigilandum fuit, ut à sacris Ordinationibus omnis venalitas arceretur: posterioribus verò temporibus, non tam contra Simoniæ Ordinationes, quam Simoniæ Beneficiorum provisiones agendum fuit: utpotè quòd jam priores rare, posteriores vero frequentiores, nec minus perniciosæ, evasisent ob mutatam lapsu temporis disciplinam.

XII. Pluribus enim sæculis in more positum fuisse, quod Clerici per ipsam sacram Ordinationem Ecclesiis tamquam earum ministri adscriberentur; eaque adscriptione jus ad proventus Ecclesiasticos acquirerent, non secus atque hodie per beneficiorum institutionem, non semel notavimus. At posterioribus temporibus erigi cœperunt tituli

beneficiales, iisque jus percipiendi certos proventus annexi; qui non in ipsa Ordinatione, sed separatim ab ipsa conferri cœperunt.

Hinc ulterius factum, ut nec jus ad temporalia, neque Dignitates aut honores per Ordinationem, uti antiquitus, sed per collationem titularum Beneficialium conferrentur.

XIII. Cum verò Simoniæ non ipsa spiritualia propter spiritualia appetant; sed unice desiderent temporalia lucra; aut sæculi honores & præminentias ambient, parum solliciti fuerit de Sacra Ordinatione, dum per eam nihil aut parum de iis quæ desiderant consequi sperant; sed totum eorum studium fuit, & hodie est, quomodo optima beneficia, & honorificas Dignitates consequantur.

Non mirum ergò, quod pristini Canones præcipue in Simoniæ Ordinationes insurgant; cum Simonia tum præcipue in Ordinationes grassaretur; ubi hodie rarius in Ordinationes, frequentissime verò circa beneficiorum collationem.

XIV. Idem igitur semper & invariatus mansit in condemnatione Simoniæ spiritus Ecclesiæ, Decreta sua pro varietate morborum diversificantis, & prout scopo suo aptiora credebat adaptantis. Unde nec primis sæculis minus quam hodie Simoniæ in beneficiorum collatione execrata, tamen de hac expressè tunc in suis Decretis non meminerit: eò quod beneficiorum collatio sub ipsa ordinatione quodammodo esset comprehensa.

XV. Similiter non minus hodie, quam olim execratur Simoniæ Ordinationes; imò quidquid in sacra ordinatione vel Simoniæ sapit: tamen non tam frequentia sint contra has posteriorum temporum Decreta: eò quod Simoniæ studium minus circa Ordinationes versaretur.

XVI. Quamopere etiamnum Ecclesiæ exeretur omne quod vel speciem duntaxat præfert Simoniæ in sacra Ordinatione evincit Decretum Synodi Tridentinæ *sess. 21. cap. 1. De Reform.*

Tamen enim Simonia præcipuas suas partes ageret circa collationem beneficiorum, utpotè ex qua temporalia in majore copia prodirent, ipsa tamen sacra ordinatione non omnino fuit immunis.

Episcopi enim, notanter opulentiores, spreta ipsa Clericorum Ordinatione, à qua nullum temporale dependebat, retenta sibi beneficiorum collatione, illam Episcopis titularibus committere cœperunt. Hi quia sibi frequenter fat tenebant provisum erat, è functionibus Ecclesiasticis victum quærebant; ique vicissim, quos ad Ordines admittebant, his aliquid conferre cogebantur: primum *elemosina* nomine, sive *oblationis*, dein honore titulo *donationis*; ac denique, ne cum debitum non esset, ommitteretur, *mercedis* nomine imposto; non quæ Episcopo Ordinanti, sed famulis ejus, aut aliis inter ordinandum ministrantibus cederet: que, nammodum ex pluribus Synodorum postremis sæculis editis colligimus, atque inter alia est decretum Synodi Toletanæ Anno 1471. *Can. 25.* quo præcipitur Episcopis, "nec janitores, barbatores, & alios Officiales, quidquid exigere aut levare permittant, etiam pro sigillo & cera, sed gratis & liberaliter impendant.

XVII. Huic abusu, qui tempore Concilii Tridentini non parum invaluerat, præsertim in Episcopatibus tenuioribus, ut efficaciter occurreret statutum citato *Capit. 1.* "Quoniam ab Ecclesiastico ordine omnis avaritiæ suspicio abesse debet; nihil pro collatione quorumcumque Ordinum, etiam Clericalis Tonsuræ, nec pro litteris dimissoriis, aut testimonialibus, nec pro sigillo, nec alia quacumque de causa, etiam spontè oblatum, Episcopi, & alii Ordinum collatores, aut eorum ministri, quovis prætextu accipiant. Notarii verò in iis tantum locis, in quibus non viget laudabilis consuetudo nihil

accipiendi, pro singulis litteris dimissoriis, aut testimonialibus, decimam tantum unius aurei partem accipere possint; dummodo illis nullum salarium sit constitutum pro officio exercendo: nec Episcopo ex notarii commodis aliquod emolumentum ex eisdem Ordinibus collationibus directè vel indirectè provenire possit. Tunc enim gratis operam suam eos præstare omnino teneri dicitur: contrarias taxas, ac statuta, & consuetudines, etiam immemorabiles, quorumcumque locorum, quæ potius abusus, & corruptelæ simoniacæ pravitati faventes, nuncupari possunt, penitus cassando, & interdicendo: & qui secus fecerint, tam dantes quam accipientes, ultra divinam ultionem, penas à jure inflictas ipso facto incurrant.

Circa præsens Decretum duo observanda esse monet Cardinalis Palavicinus in historia Concilii Trid. *lib. 17. cap. 9. num. 9.*

XVIII. Primum, quod in articulo Patribus præposito diceretur; "Transgressores tamquam SIMONIACOS esse puniendos; sed hoc postea esse deraum, cum Simonia non sit oblati ac gratiæ doni acceptio. Quamobrem illius dicti loco positum est quacumque consuetudo, ne valeat in oppositum, seu verius abusus & corruptelæ, utpotè Simoniacæ pravitati favens.

Si Prælati Ecclesiarum pro sui officii ratione diligenter excuterent, quæ sub pallio oblati ac gratiæ doni in Sacramentorum administratione, aliisque Ecclesiasticis functionibus, tum ab Episcoporum Ministris & Officialibus accipiantur, non dubium, quin plura reperirent, quæ si non ut simoniaca, saltem tanquam abusus & corruptelæ Simoniacæ pravitati faventes, essent reprobanda, non obstante consuetudine etiam immemorable.

XIX. Secundò notatu dignum dixit Pallavicinus, "eam permissionem scribis habitam, quæ in prioribus Decretis erat universalis, fuisse coarctatam, Gallis per Simonia, ad eas Dioceses, ubi laudabilis consuetudo non esset, ne quid etiam acciperent Scribæ; eam enim consuetudinem dixerunt in ipsorum regionibus vigere.

XX. Optandum esset, ut omnes Episcopi, præsertim quibus de proventibus Ecclesiasticis abundè provisum, Gallia consuetudinem in suas Dioceses introducerent; congruuntque suis ministris salarium darent, quo à suspectis hæc exactionibus cohiberentur.

XXI. Meritò Episcopi alique Prælati qui non fat cohibent suos domesticos à recipiendis muneribus aut donis, vel juribus quibusdam, uti vocare amant, expendent illud S. Ambrosii in *Capit. 4. Luca.* "Non tamen satis est, si lucrum ipse non quæras: familia quoque tuæ cohibendæ sunt manus: nec hoc solum expolci- mus, ut te solum castum immaculatamque custodias: Non enim dixit Apostolus, te solum; sed te ipsam castam custodi.

accipiendi, pro singulis litteris dimissoriis, aut testimonialibus, decimam tantum unius aurei partem accipere possint; dummodo illis nullum salarium sit constitutum pro officio exercendo: nec Episcopo ex notarii commodis aliquod emolumentum ex eisdem Ordinibus collationibus directè vel indirectè provenire possit. Tunc enim gratis operam suam eos præstare omnino teneri dicitur: contrarias taxas, ac statuta, & consuetudines, etiam immemorabiles, quorumcumque locorum, quæ potius abusus, & corruptelæ simoniacæ pravitati faventes, nuncupari possunt, penitus cassando, & interdicendo: & qui secus fecerint, tam dantes quam accipientes, ultra divinam ultionem, penas à jure inflictas ipso facto incurrant.

Circa præsens Decretum duo observanda esse monet Cardinalis Palavicinus in historia Concilii Trid. *lib. 17. cap. 9. num. 9.*

XVIII. Primum, quod in articulo Patribus præposito diceretur; "Transgressores tamquam SIMONIACOS esse puniendos; sed hoc postea esse deraum, cum Simonia non sit oblati ac gratiæ doni acceptio. Quamobrem illius dicti loco positum est quacumque consuetudo, ne valeat in oppositum, seu verius abusus & corruptelæ, utpotè Simoniacæ pravitati favens.

Si Prælati Ecclesiarum pro sui officii ratione diligenter excuterent, quæ sub pallio oblati ac gratiæ doni in Sacramentorum administratione, aliisque Ecclesiasticis functionibus, tum ab Episcoporum Ministris & Officialibus accipiantur, non dubium, quin plura reperirent, quæ si non ut simoniaca, saltem tanquam abusus & corruptelæ Simoniacæ pravitati faventes, essent reprobanda, non obstante consuetudine etiam immemorable.

XIX. Secundò notatu dignum dixit Pallavicinus, "eam permissionem scribis habitam, quæ in prioribus Decretis erat universalis, fuisse coarctatam, Gallis per Simonia, ad eas Dioceses, ubi laudabilis consuetudo non esset, ne quid etiam acciperent Scribæ; eam enim consuetudinem dixerunt in ipsorum regionibus vigere.

XX. Optandum esset, ut omnes Episcopi, præsertim quibus de proventibus Ecclesiasticis abundè provisum, Gallia consuetudinem in suas Dioceses introducerent; congruuntque suis ministris salarium darent, quo à suspectis hæc exactionibus cohiberentur.

XXI. Meritò Episcopi alique Prælati qui non fat cohibent suos domesticos à recipiendis muneribus aut donis, vel juribus quibusdam, uti vocare amant, expendent illud S. Ambrosii in *Capit. 4. Luca.* "Non tamen satis est, si lucrum ipse non quæras: familia quoque tuæ cohibendæ sunt manus: nec hoc solum expolci- mus, ut te solum castum immaculatamque custodias: Non enim dixit Apostolus, te solum; sed te ipsam castam custodi.

CAPUT II.

Triplex munere, à Manu, à Lingua, & ab Obsequio,

1. Triplex munus jam pridem à Patribus notatum.
2. Singulorum interventu Simonia contrahitur.
3. Quid munus à manu?
4. Munus à manu etiam exiguum potest causare Simoniæ.
5. Ut Simonia committatur non requiritur, ut munus à manu realiter tradatur.
6. Quæ ratione Monasteria & Capitula paciscendo de minore competentia cum Parochis Simoniæ committant per munus à manu.

Van Espen, *Jur. Eccl. P. 18*

7. Quid munus à lingua?
8. Quando hic committatur Simonia per hoc munus.
9. Si ad preces alterius conferatur Beneficium, ne ejus favor amittatur, potest esse Simonia.
10. Licet etiam preces fiant pro digno.
11. Quando sine Simonia possit fieri provisio ad preces alicujus.
12. Potest quis sine Simonia preces interponere pro obtinenda provisione in favorem amici.
13. Quando preces habeant rationem muneris à lingua.
14. Quid munus ab obsequio?
15. Quare obsequium habeat rationem muneris.
16. Quomodo exhibentes Patronis obsequia Simoniæ incurrant?
17. Quid Episcopis agendum ne hac Simonia nocentur.
18. Instructores puerorum nonnumquam huic vitio subjecti.
19. Obsequium spirituale etiam materiam Simoniæ constituere potest.
20. Exigere obsequium etiam spirituale pro collatione Beneficiorum potest esse Simoniacum.
21. Unde dignosci possit Simonia qua interventu horum munerum committitur?



I. Sanctus Hieronymus in Epistolam *cap. 1.* ad ea verba: *Et constituas per cruciatus Presbyteros*, ait: "Nunc cernimus plures hanc rem beneficium facere, ut non quarant eos in Ecclesia erigere columnas, quos plus cognoscant Ecclesiæ prodesse: sed quos, vel ipsi amant, vel quorum sunt obsequiis delin- ti, vel pro quibus majorum quispiam rogaverit, & (ut deteriora taceam) qui ut Clerici fierent, muneribus impetrarunt." Apud Gratianum *Caus. 8. quest. 1. Can. 6.*

Hic non obscure triplex illud famosum muneris genus; nimirum à manu, ab obsequio, & à lingua notavit Hieronymus: & clarius post ipsum S. Gregorius *Homilia 4. in Lucam*, & extat apud Gratianum *Caus. 1. quest. 1. Can. 114.* ubi reflecti jubet, quod Propheta cum virtum justum adscribit, dixerit: *Qui excutit manus suas ab omni munere.* "Neque dicit enim (ait Gregorius) qui excutit manus suas à munere, sed adjuvat, ab omni: quia aliud est munus ab obsequio, aliud munus à manu, aliud munus à lingua.

II. Post hos sanctos Ecclesiæ Doctores, nemo dubitavit, quin horum trium munerum interventu Simonia in Ordinum aut Beneficiorum collatione committeretur.

Unde sæculo undecimo apud Gratianum *Caus. 1. qu. 3. Can. 8.* sine ulla dubitatione pronuntiat Urbanus II. "Qui res Ecclesiasticas non ad hoc ad quod instituta sunt, sed ad propria lucra, munere lingua, vel indebiti obsequii, vel pecunie largitur, vel adipiscitur, Simoniacus est.

Et B. Petrus Damiani *lib. 2. Epist. 1.* hæc tribus muneribus enumeratis subjungit: "Quisquis in dandis accipiens, disque Dignitatibus Ecclesiasticis *una dumtaxat earum*, quæ prædictæ sunt, peste corrumpitur, Simoniacæ hæreseos teneri crimine judicatur.

Itaque indubitatum est, atque unà cum S. Thoma tenent omnes Theologi & Canonistæ, quod sicuti contrahitur Simonia accipiendo pecuniam, vel quamlibet aliam rem exteriorem, quod pertinet ad munus à MANU; ita etiam contrahitur per munus à LINGUA, vel ab OBSEQUIO: uti loquitur S. Thomas 2. 2. *q. 100. art. 5. in C.*

III. Munus à manu teste S. Gregorio, loco supra citato, pecunia est.

Nomine pecunie hic intelligit S. Thomas, non tantum pecuniam strictè dictam; sed quamlibet aliam rem exteriorem, quam sub munere à manu comprehendi jam dixit.